

Duo hi libri nouissimi, etsi in manu scripto codice, non praeferebāt titulum Archidoxis, sed simpliciter De Renouatione & Restauratione Liber Theophrasti: & Liber de longa vita &c. inscribebatur: Tamen memores eorum nos, quæ ab authore libro primo dicta sunt de Decimi libri occultatione, ab Idiotis, cum existimemus studio dictæ occultationis titulum noluisse exprimere, quò Archidoxis inscriberetur: & tamen videamus reuera duos hos libros perinde se habere ad Archidoxis priores octo, sicut se habet Conclusio Syllogismi ad Praemissas: non dubitauimus eos ad eandem Tituli inscriptionem adoptare & referre. Relinquimus tamen liberum tibi iudicium, & appellandi arbitrium, neq; de Titulo ad cruorem vsq; pugnabimus, dum modo vitulum, id est fructum libri, mecum pariter consequaris. Ceterum quamuis quadam vocabulorum signa potius quam vocabula ipsa nobis difficultatem fecerint non exiguam, potuerimusq; fidem nostram in vertendo saluare, etiam si tantum modo signis positis, aut stellulis, liberam cuiq; coniectandi potestatem relinqueremus, aliorum interpretum exemplum in eo imitati: Tamen vt hac quoq; in parte labore & nauseabili dubitatione pro viribus nostris te leuaremus, maluimus signa quoq; nonnulla exprimere, & diuinationem nostram potius quam interpretationem adiungere, nullatamen prophetandi libertate tibi erepta. Vbi verò stellula indicium solum positum est, tam in textu, quam in margine, ibi defuisse tam signum quam dictionem ipsam significare voluimus: at si stellulae marginis dictiones adiunctae sunt, nostra diuinatione coniecturaq; positas intelliges, vel ad supplendum defectum, vel ad explicandum obscurum. Nostrum igitur studium si candido pectore susceperis amice Lector, nos tibi gratiam debere profitebimur. Vale.

& mysterijs naturæ fruere.

Fallih de autor.
 Nam libr 10 Archid.
 agit de lapide
 philosophico.
 v. by tandem &
 separata à
 P. Frid. Muller
 1618. Brölin

Dd

Archid.